



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiæ Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiæ

Cap. 1. de Natura & institutione huius sacramenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

TRACTATVS VIII.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

C A P. I.

De Natura & Constitutione huius Sacramenti.

Exrema vncio est nouæ legis sacramentum (per vunctionem olei benedicti & orationem sacerdotis, ad conferendam homini ægrotanti, ac de vita periclitanti, salutem mentis, vel etiam corporis, à Christo institutum.) Colligitur ex traditione & praxi Ecclesiæ tam occidentalis quam orientalis, & ex S. Iacobo, cap. 5. Infirmitur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orientis super eum vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. Vbi in primis habemus ritum exterum sacramentum, videlicet vunctionem olei cum prece sacerdotis. Secundò promissionem gratiæ ac remissionem peccatorū. Ex quo colligitur Christi institutio: Quia enim Apostoli ex se ipsis collationem gratiæ certo alicui ritui, vel actioni annexere non possint, cum ipsis non sint auctores gratiæ & sacramentorum. S. Jacobus autem

autem certò & absolutè promiserit remissionem peccatorum iis, qui tali ritu usi fuerint, colligere debemus, id ipsum fecisse ex Christi voluntate institutione.

Sacramentum extremæ Unctionis est consummatum Pœnitentiæ, ideoque credibile est hoc duo Sacraenta simul instituta fuisse, scilicet post resurrectionem Ioan. 20.

S. Patres, præcipue S. Chrysostomus, Origenes, Augustinus, Innocentius, Beda, Concil. Cabilon. Concil. Aquisgranense, Moguntin. de sacramento extremæ unctionis testimonia præbent.

C A P. II.

De materia huius sacramenti.

Materia remota huius sacramenti est oleum ab Episcopo prius benedictum. Prius patet ex S. Iacobo cap. 5. posterius ex Ecclesiæ traditione & praxi, eius congruam rationem attuli super in tract. 3.c. 2. n. 2.

Oleum extremæ Unctionis debet esse simplex non mixtum balsamo, sicut in S. Chrismate quia balsamum significat odorem bona fama, quam baptisati dum viuunt, per bona opera & exempla seruare debent, oleum autem simplex, quo bona Conscientia tranquillitas significatur, mox morituris sufficit. Quod si mixto oleo seu chrismate conferatur hoc sacramentum, incertum est an valeat, tamen nihil repeti debet.

CCCC 3 Tria